

Kreis  
Steinfurt

S 84

1170.

12

84

Erzbischof Philipp von Köln befehlt den Stadtvogt Gerhard und den Gumpert von Elnere mit dem Wildbann im Forste Sattena.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam turbationes temporum et varii eventus rerum frequenter inducunt turbationes rerum ecclesiasticarum, necessarium duximus, ea que actenus nobis et predecessoribus nostris minus erant familiaria et nostro studio nostraque opera in maiorem familiaritatem nobis et successoribus nostris sunt revocata, posterorum memorie commendare, ut de hiis ordinatio a nobis facta debita stabilitate possit durare. Notum igitur esse volumus tam futuris quam presentibus, quod Heinricus comes de Arlo, qui dux in Limburch dictus est, in foresto nostro Sattena videlicet bannum feralem, qui vulgo wiltban dicitur, a nobis et predecessoribus nostris in feodo tenebat. Considerantes igitur huius foresti situm et amenitatem archiepiscopo Coloniensi cum baronibus et familiaribus suis causam iocunditatis et plerumque materiam utilitatis prestare posse, si predictum feodum in manus familiares magis transferretur, iam dicto Heinrico sexaginta marcas dedimus et feodum hoc ab eo redemimus. Ut autem familiaribus nobis et successoribus nostris in prememorato foresto quandoque venari liceret, bannum hunc feralem familiari nostro Gerharδο advocato urbis et Gumperto de Elnere feudali iure concessimus, statuentes et sub interdicto excommunicationis firmantes, ne a nobis vel a quoquam successorum nostrorum feodum hoc in manus alias quam heredum ipsorum aliquo modo transferatur. Ut quoque predictis viris et heredibus ipsorum feodum hoc cum iam dicto tenore ratum firmumque permaneat, presentem paginam sigilli nostri impressione et testium subscriptione communiri fecimus. Quorum nomina hec sunt: Lotarius Bunnensis prepositus, Sifridus Xantensis prepositus, Conradus prepositus sancti Severini, Wezelo prepositus sancti Andree, Tirricus prepositus sanctorum Apostolorum, Johannes Seflicensis prepositus; liberi: Everardus comes de Seina, Henricus filius eius, Herimannus comes de Ravensberch, Arnoldus comes de Altena, Reinerus de Vroithsberch; ministeriales: Gozwinus de Volmusteine, Heinricus de Volmutsteine et fratres eius, Gozwinus et Gerhardus Snar, Leonius de Hulse, Guilhelmus de Kel . . . m, Herimannus scultetus de Susacia et alii quam plures. Testis autem primus inter priores est Bruno maior prepositus. Affuerunt eciam ministeriales Godefridus de Wolkenburch, Rizego de Mulenheim et Antonius frater eius, Herimannus de Unterbeche, Gozwinus de Alftre. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>, indictione octava.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Zu 1170 gehört indictio III.